

www.e-rara.ch

Athanasii Kircheri ... Iter Exstaticum Coeleste

Kircher, Athanasius

Herbipoli [i.e.Würzburg], 1671

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 4199: 1

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-1231>

Caput I. De causa & origine huius opusculi.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



ITINERARII EXSTATICI DIALOGUS I.

De cœlestis Expansi siderumque natura,
ac proprietatibus.

Interlocutoribus Cosmie & Theodidacto.

CAPUT I.

De causa & origine hujus Opusculi.

VTi mihi nullo non tempore ardentissimum rerum, quæ hucusque latuerunt, cognoscendarum desiderium fuit, sic vel maximè in admirandæ hujus mundanæ machinæ penetrandæ, & eximiarum rerum, quas Deus Opt. Max. cujus sapientiæ non est numerus, nec finis, in supremo illo cœlorum domicilio reposuit, investigandarum studio mihi æstuans cor fuit; potissimum hisce temporibus, quo summa & infinita DEI bonitas theatrum suum aliquò usque viris Astronomiæ studio deditis, tibi astronomici subsidio, aperuit; rerum sanè admirandarum, & prioribus seculis inauditarum, quas vel ipse nunquam credidissem, nisi propriis eas oculis summo animi mei gaudio explorassem, & omnium meliorum hujus ævi Astronomorum continuo commercio didicissem. Quidnam verò illud in Luna montuosum, & veluti lacubus quibusdam transfusum? Quidnam illud in Sole Oceani instar ignei æstuans, & maculis facibusque resplendens? Quidnam in Lunæ morem falcatis Venere & Mercurio? Quid in Marte nescio quid fumosæ materiæ exhalans esset, penetrare non licuit. Admiratus sum splendorem & summam Jovis Majestatem tam insolito satellitio circumdatam; consideravi Saturni spheram, ejusque admirandam consti-

*Observatio
& experientia
multa
docet.*

tutionem , & expavi ; firmamenti arcana rimatus obstupui. Quidnam verò illa omnia essent , hæsi , & vehementer indolui, hanc DEUM Optimum Maximum dedisse afflictionem filiis hominum , *ut non inueniat homo opus , quod operatus est DEUS ab initio usque ad finem.* Ingemui illud Ecclesiastici , *Multa abscondita esse majora his , quæ scimus & cognoscimus , & pauca nos videre operum DEI.* Deterruit me illud Syracidis , *Ne laboretis ; non enim ea comprehendetis.* Animavit è contra illud : *Nonne Dominus fecit Sanctos enarrare omnia mirabilia sua , quæ confirmavit omnipotens stabilire in gloria sua ? & benigna Patris luminum invitatio : Venite , & videte opera Domini , & prodigia , quæ fecit Dominus sursum in cælo , & in terra deorsum.* Hisce excitatus dixi in corde meo : surgam , & circumibo coelestis civitatis vicos & plateas ; quæram , quem diligit anima mea , ut in operibus suis inventum teneam , nec dimittam. Sed ô miseram intellectus nostri caliginosi conditionem ! quanto plùs me profecisse , tanto plùs me defecisse , gloriâ majestatis Domini obrutum invenio : tento omnia , combino singula cum singulis , sed nihil ad gustum , nihil ad satisfactionem ; apertè que didici , omnes humani intellectus conatus prorsus , nisi divini Numinis gratiâ à Patre luminum fulciantur , frustraneos , irritos , & evanidos esse. Quare hujus scientiæ desiderio accensus , unum illud optavi , ut divinæ sapientiæ radius mihi illucesceret , ut per ea , quæ facta sunt , supra omnem humani ingenii capacitatem admiranda factoris invisibilia bona , quæ solis eum toto corde diligentibus præparata sunt , vel per exilem rimam quandam cognoscerem , cognita ad nominis sui gloriam Mundo communicarem , ut & illi ascensiones in cordibus suis disponerent , usque dum pervenirent ad Deum Deorum in Sion , ubi in archetypo illo supramundano omnes divini intellectus ideas , omnes divinæ sapientiæ thesauros luculentiùs contemplati , iis æternùm in beatissimis istis æternæ felicitatis atriis tandem fruerentur. Quid porrò factum , narrare progredior.

Cœlestis
philosophiæ
amor.